

illorum in partibus ipsis, prout expedire videritis, ad eadem regia
 nostraque servitia deputetis. quibus militi et stipendariis predictis
 omnibus, donec in comitiva vestra pro predictis serviciis regis
 adque nostris continue moram traxerint, gagia debita et statu-
 ta ad rationem de unciis auri quatuor pro predicto milite
 et unciis auri duobus pro quolibet dictorum scutiferorum
 ponderis generalis per mensem de pecunia proventuum dicti
 vestri officii sine defectu quolibet tribuatis; recepturi videlicet
 ad vestri cambelam ydoneam apodixam. Ita tamen, quod dictus
 miles et predicti alii stipendarii de personis eorum sint decen-
 ter armati; et item miles habeat in serviciis regis equos
 quatuor, inter quos sit unus ad arma, equum unum no-
 bilem decenter armatum et garziones duos, quolibet haben-
 tem spall^{ri}eam, forgeream de ferro, ensen et cultellum ad
 punctam; et quolibet dictorum scutiferorum habeat in
 eisdem regis serviciis equos duos, inter quos sit unus ad
 arma, et garzonem unum armatum in forma predicta.
 a quibus stipendiariis quolibet tempore page eorum debi-
 tam monstram pro parte curie vos recipere volumus, sicut
 hactenus exhibitis in talibus observatum¹⁹, et si quos defectus
 in equis et armis eorum vos invenire contigerit, seu etiam
 in garzonibus supradictis, ipsos deducatis in eorum solu-
 tionibus et ad opus curie conservetis. pro mortuis vero et
 absentibus nichil pro tempore mortis et absentie eorumdem
 exhibere curetis, sed quantitatem pecunie eos proinde
 contingentem in forma predicta retineatis et conservetis, suc-
 cessive ad cameram regiam penes nos statutam per vestros
 fideles nuncios transmittatis magistro Ade de Hussiaco di-
 19 ky. observavit